



1719, 7
1863.
12

FACULTATIS JURIDICÆ
DECANUS,
JOANNES PHI-
LIPPUS Streit/
JCTUS,
CONSILIARIUS REGIMINIS
ELECTORALIS,

B. L. S.
Progr. de legatis

ERFORDIÆ,
TYPIS JOH. HENRICI GROSCHII,
ACAD. TYPOGR.

FACULTATIS IURIDICAE
DECANUS
JOANNES PHI
LIPPIUS
ICLUS.
CONSERVATORIUS REGIMENTUS
ELECTORALIS

1520
1520
1520



On tantum heredes in testamehtis in-
Rituuntur, sed etiam legata in iis re-
linquuntur. Est autem legatum do-
natio quedam à defuncto reliqua, ab
herede præstanta. Ultima hæc ver-
ba ad definitionem non pertinent, in
qua tantum quæritur, quid sit lega-
tum? non etiam à quo præstandum. Latior istamen ex-
plicationis gratiâ secundum jus vetus adjici potuerunt.
Olim quatuor erant legatorum genera, quorum natu-
raturam legislatio justinianea commisicit. §. 2. nif. de le-
gal. Isque sublati, ita omnium legatorum una ea-
demque est natura, idemque jus, ut ea non modò sin-
gularibus fideicommissis per omnia sint adæquata, sed
& illa ipsa, quibusunque verbis relinquantur. Natu-
ralis tamen verborum significatio nunquam abolita est,
nec aboleri potuit, adeoque illæ diveritantes, quæ inde
fluunt adhuc hodie obtinent. Sic enim adhuc diversi-
tas hodie est in electione; nam in legato generis illa est
penes legatarium, veluti si testator dixerit: *Zitio legg
unum ex meis equis.* ast si testator verbis fideicommissa-
riis utatur, ex nativa verborum indole electio debet
esse penes heredem L. 109. § ff. de legal. i. quoties enim
verba

verba ad heredem diriguntur, id quod fit in fideicommissis, toties electio heredi competit. *Stryk. in usu modern. pandet. de legat.* §. 2. potest autem legare c. annis & solus iste, qui testamenti faciendi jus habet *L. 2. ff. de legat. 1. L. 1. §. 2. de legat.* 3. subjectum verò legati constituant personæ, cum quibus est testamenti factio, hinc servo heredis pure inutiliter legatur §. 32. *inf. de legat.* Diversum obtinet, si servo instituto, legetur domino, tunc enim tenet legatum §. 33. d. 1. Et legari possunt res omnes tam corporales, quam incorporales, tam mobiles, quam immobiles, ita tamen ut sint non solum in rerum naturâ, aut futuræ sperentur, sed & in hominum commercio. Res vero exemptæ commercio humano, vel sunt exemptæ suapte naturâ, vel ex accidenti. Res exemptæ suapte naturâ, vel sunt exemptæ simpliciter, vel secundum quid, illæ inutiliter legantur, adeo ut ne quidem aestimatio debeatur. §. 4. d. t. Res exemptæ secundum quid, vel non sunt in commercio testatoris, vel legatarii vel heredis. Res exemptæ commercio testatoris utiliter legantur, quia exitum invenire voluntas potest. *arg. L. 34. de V. O.* Res exemptæ commercio heredis itidem utiliter legantur. *L. 49. §. 3. de legat.* 2. Res exemptæ commercio legatarii adeo inutiliter legantur, ut nec aestimatio debeatur d. *L. 49. §. 2.* Alter se habet in casu *L. 40. ff. de legat.* j. Ex accidenti sunt extra commercium columnæ marmoreæ, aliave ædibus juncta: hæc enim detrahi sensatus veruit, ideoque frustra legantur *L. 41. §. 1 & seq. L. 42. & 43. de legat.* Ad res incorporales pertinent nomina tum activa, tum passiva. Nomen activum legatur vel ipsi debitori vel tertio. Relictum debitori dici-
tur

tur legatum liberationis, operaturque tum actione m,
quâ petere potest debitor, ut per acceptilationem libe-
retur : tum exceptionem, quâ heredem repellit, si
debitum prætendat, §. 13. d. 1. Relictum tertio dicitur
in specie legatum nominis, operaturque duplarem a-
ctionem, directam & utilem ; illam quidem admini-
culo cessionis, istam beneficio legis. Lib. 18. Cod. d. 1.
Nomen passivum si debitori legetur, refert, nihilne
aliud sit in legato, quam in debito, an quid amplius.
Legatum prioris generis est inutile §. 14. d. 1. legatum
posterioris generis adeo est utile, ut legatarius pro-
modo emolumenti, & falcidiā pati, & fideicom-
missum solvere teneatur. L. 1. §. 10. & L. 5. ff. ad L. fal-
cid. Res corporales sunt vel alienæ, vel propriæ, hæ
tales sunt vel respectu heredis, vel legatarii, vel te-
statoris. Res propria heredis utiliter legatur. §. 4. de
legat. Res propria legatarii relinquuntur vel pure, vel
sub conditione. Si pure legatum est inutile, quia quod
proprium est legatarii, ejusdem fieri amplius non pot-
est. §. 10. d. 1. si sub conditione, legatum tenet. L. 1.
§. 2. ff. de Reg. caton. Res propria testatoris utiliter re-
linquuntur, sive sciverit testator suam esse, sive credi-
derit alienam, aut legatarii, quia exitum habere vo-
luntas potest, & plus valet, quod in veritate, quam
quod in opinione §. 11. d. 1. Res alienæ sunt vel tales
simpliciter, vel certo respectu. Si legentur à teste-
tore sciente, tenetur heres easdem redimere, aut æ-
stimationem solvere §. 4 d. 1. Si ab ignorantе, ob
defectum voluntatis legatum non tenet, nisi forte
personæ propinquæ relictum sit, aut favor libertatis
præsumptionem diversam inducat. L. 10. cod. d. 1. 39.

princ. ff. de fideicom. libertat. Res certo respectu aliena, est vel talis ideo, quod sit communis, vel quod jure pignoris affecta, hoc casu, si testator sciat rem affectam jure pignoris, legatum valet, teneturque heres pignus luere. §. 5. *instit. de legat.* Si ignoret, refert, superetne valor pignoris debitum, an æquet. Si superat, legatum ratione excessu illius est utile, onus tamen luendi incumbit legatario. L. 57. *ff. de legat.* i. si æquat, legatum non tenet, quia perinde est, atque si res simpliciter aliena relicta fuisset. Legatum rei communis tenet, operaturque ut pars, quæ fuit testatoris, legatorio debeatur. L. 5. *ff. de legat.* j. Quam legem curforiè explanandam elegit.

Nobilis & Clarissimus Dominus

JOH. MARTINUS APPELIUS,

Lauterbachio-Francus, natus die 25. & renatus 27 Decembris a.o. 1692 Patre Nobiliss. & Consultissimo Dno Johanne Melchiore Appelio, J. U. Lic. summorum Tribunalium & Judicij Cameralis Berolini, antea Advocatus Ordinarius, nunc vero Sereniss. Ducis Saxo-Goth. Regiminis, quod Alteburgi in Misnia floret, Advocatus Ordinarius Auticus, Matre fœmina & pietate & probis moribus maximè donata *Catharina Christina*, Martini Bothi, Pastoris Prim. & Senioris civitatis Ulrichsteinii in Hassia Darmst. beatè defuncti, filia, cuius è vita discessum, quotidie adhuc deplangit. *Johannem Appelium*, Pastorem Prim. civitatis Calæ ad Salam & Ducis Saxo-Goth. Superintendentem uti vulgo vocari consuetum Præfecturatum trium meritissimum, Avum suum Paternum affirmat: A suis Parentibus

bus charissimis in flore Juventutis Musis dicatus , &
quantum ætas viresque permiserunt , primum Pater-
nis informationibus imbutus , deinde Anno 1700. à Dn.
Parente suo Charissimo , Præstantissimo & Summæ
Doctrinæ Viro Dn. *M. Samuela Rodigasto* , Gymnasiad
Cœnobium Leucophæum , quod Berolinum fovet , Re-
ctore vigilantissimo traditus , à quo in infimam Clas-
sem collocatus , per undecim annos , quos humaniori-
bus consumsus , omnium Clasium Subsellia ornavit .
Demortuo *M. Samuele Rodigasto* , usus doctrina Viri
Clarissimi Dn. *Christoph. Fried. Bodenburgi* Rectoris &
Dn. M. Johannis Leonhardi Frischii Con Rectoris ac *Dn.*
Conradi Dieterici Sub-Rectoris Berolin: Gymnasij , & a-
liorum optimè meritorum , quorum singularem fidem
& industriam tam in publicis quam in privatis horis
adhibitam , non potest laudibus satis extollege . Horum-
que studiorum humaniorum doctrinâ imbutus , Anno
1711. iussu Domini Parentis Academiam Viadrinam adi-
xit , & in numerum Academicorum receptus ; Per id
temporis spatium , Lectionibus beatè de mortui *Dn. D.*
Mich. Rhodii ad Hypomnemata Illustr: *Dn. D. à Coccej*
in Institut: Justinianeas , item ad Lauterbachium in fl.,
sicuti etiam *Dn. D. Jegeri* eò tempore Extraordinarii
nunc verò Ordinarii Professi Publici in Hypomnemata
dicta ad Instit: auditor fuit ; Imprimis verò Illustr: *Dn.*
Henricum à Coccejum , JCTUM Celeberrimum Lauter-
bachii Compendium ad Digesta , & suam Jurispruden-
tiam Publicam explicantem audivit , & beati *Dn. D. E.*
berti Lectionibus Publicis in Historiam Hispanicam &
Gallicam nunquam absfuit . Deinde studia sua conti-
nuaturus , Academiam , quæ Jenæ floret , adiit , Præle-
ctio-

Etionibus Publicis & Privatis magno cum ardore , im-
primis horis Celeberrimi *Dn. D. Struvii* ad Historiam
Universalem adhibitis , semper interfuit . Præcursori-
res Juris *Dn. D. Beckium* ad Institut: & Jus Feudale sibi
elegit , *Dn. D. Epbraium Gerhardum* suam Delineatio-
nem Juris Naturæ resolventem audivit , & Duce *Dn.*
Dithmaro , J. U. D. & Practico Spectabilissimo , univer-
sum Jurisprudentiæ Cursum feliciter absolvit . Sic A-
cademicis studiis & annis absolutis , Patriam eum antea
alentem Berolinum petiit , ibique DEO Providente in-
Ephorum Generosisl. *Dn. B. à Brock* Filii unici , per
quatuor ferè Annos persuasione Regiæ Majest: Boruss:
Archimagyri &c. *Dn. à Fronhorst* electus , & nationes
quasdam peregrinas hac occasione libentissimè visitare
in se suscepit . Tandem svasu non nullorum , quos ma-
ximè veneratur de Summis in Utroque Jure capessen-
dis Honoribus , propositum firmatus huc se contulit ,
ac ad consvetum Candidatorum Examen admitti de-
center petiit , admissus Textus ex Utroque Jure solidè
resolvit , & ad Quæstiones propositas doctè adeò re-
spondit , ut unaniimi Consensu Laurea Doctorali di-
gnus judicatus sit . Proinde proximâ die Jovis , horis
consvetis , Lectionem Cursoriam *ad dict. L. 5. ff. de Legat.* 1. eaque finitâ Disputationem Inauguralem habebit .
Ad quos Actus Solennes Magnificus DN. RECTOR ,
nec non Domini Proceres & Cives Academicci perhu-
maniter invitantur . Publicatum sub Sigillo Faculta-
tis Jurid. 26. Martii 1719.


(L. S.)

TA-OC (1+12)

56.



W18



1719, 7
1863
12

FACULTATIS JURIDICÆ
DECANUS,
JOANNES PHI-
LIPPUS *Streit/*
JCTUS,
CONSILIARIUS REGIMINIS
ELECTORALIS,

*B. L. S.
Progr. de legatio*

ERFORDIAE,
TYPIS JOH. HENRICI GROSCHII,
ACAD. TYPOGR.